



**R. P. Ioannis Præpositi Atrebatis, E Societate Iesv, S.  
Theologiæ Doctoris, & quondam in Vniuersitate  
Louaniensi ac Duacensi Professoris, Commentaria In  
Tertiam Partem S. Thomæ De Incarnatione Verbi ...**

**LePrévost, Jean**

**Dvaci, 1629**

Qvæstio LXX. De circumcissione quæ præceßit baptismum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94249](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94249)

## QVÆSTIO LXX.

## De circumcissione qua præcessit baptismum.

## ARTICVLVS I.

## Vtrum circumcissio fuerit præparatoria &amp; figura baptismi?

**A**FFIRMAT. probat ex Apostolo ad Colossenses 2. Circumcisi estis circumcissione non manu facta in exspoliatione corporis, sed in circumcissione Christi, conspeli in baptismo. ubi ostendit circumcissionem spiritua- lem baptismi, prefiguratum circumcissione carnali. idem tradunt plurimi Patres. videri potest Aug. lib. 6. contra Iulianum cap. 3. ubi dicit: Sacramen- tum circumcissionis in figura præcessisse baptismatis, quis vel mediocriter sacris litteris eruditus ignoret? &c. Con- gruentiam adfert D. Th. quòd quemadmodum baptismus est Sacramentum fidei, per quod aliquis aggregatur populo fidelium, ita per circumcissio- nem aliquis censetur fidem profiteri & aggrega- retur populo fidelium.

## ARTICVLVS II.

## Vtrum circumcissio fuerit conuenienter instituta?

**I**NTENDIT D. Th. querere num circumci- ssio conuenienter sit instituta quoad personas, & quoad tempus. ex cuius doctrina elici potest hoc

Conclusio; Circumcissio conuenienter data est Abraham Gen. 17. quia data est in signum fidei Chri- sti venturi. inter antiquos autem Abraham primo facta est promissio de Christo nascituro Gen. 22. (de qua scilicet in Scriptura fiat mentio) videri etiam potest solutio ad 1. ubi ostendit conuenien- ter non institutam statim à principio mundi.

Aduerte non solum Abrahamum ex diuino præ- cepto debuisse circumcidi, sed etiam posteros per Isaac & Iacob descendentes, seu populum Iudæo- rum obligatum fuisse lege circumcissionis. vide S. Thad. 3. non verò alios ex Abrahamo descenden- tes v.g. posteros Ismaël vel Esau, vt communiter Scripturæ interpretes, & patet ex Gen. 17. ubi dici- tur: & statim pactum meum inter me & te, & inter se- men tuum post te in generationibus suis federe semper- no, vt sim Deus tuus & seminis tui post te. quod semen constat fuisse Isaac & Iacob eiusque posteros, vt patet ex Apostolo ad Rom. 9. De hoc verò semine dicitur cap. 17. citato: & tu ergo custodies pactum & semen tuum post te in generationibus suis, hoc est pactum quod obseruabis inter me & vos, & semen tuum post te. circumcideris ex vobis omne masculinum.

Quamuis ergo Ismaël & Esau circumcisi fue- rint, id non est factum quòd lex circumcissionis ad eos constitutos sub cura paterna deberent circum- cidere.

Nec obstat quòd posteri Ismaël & Esau fuerint circumcisi, quia id fortè factum ex paterna com- mendatione, citra tamen vllum diuinum præce- ptum quò ad id obligarentur.

Aduerte 2. verisimilius esse similiter famulos li- beros & mercenarios non fuisse obligatos circum- cissionem recipere, neque Iudæos fuisse obligatos eos circumcidere, sed obligationem Iudæorum fuisse respectu seruorum & eorum quos tanquam mancipia possidebant. quòd posterius patet ex cap. 17. citato, tam vernaculus quàm emptitius circumci- ditur. ubi per emptitium intelligitur redactus in ser- uitutem quocumque iusto titulo, siue emptione, siue donatione, siue iure belli &c. prius patet ex Ambrosio. epist. 77. sub medium ubi dicit: circumcidi- bant Iudæi, vel domi eius natum, vel pecuniā eius em- ptum. non possumus derivare hoc ad alienigenā aut pre- sbyterum nisi fuerint in domo Abrahami nati, aut pecuniā eius empti vel seminis eius.

Dices Gen. 17. post illa verba: tam vernaculus, quàm emptitius circumcideretur, additur, & quicumque non fuerit de stirpe vestra, quā parte comprehendun- tur famuli liberi.

Resp. 1. si quid vrgeant illa verba, nimium vrge- re, cum ex ijs eadem probabilitate deduci possit omnes omnino masculos non Iudæos etiam cir- cumcidendos, quòd falsum est.

Resp. ergo 2. hanc posteriorem partem referri ad priorem, & iuxta sensum illius intelligendam hoc modo, circumcideretur vernaculus & empti- tius masculus, licet non sit de stirpe vestra.

Ex quo inferitur dominos potuisse circumcidere suos seruos etiam inuitos, immò & debuisse, quia præceptum Gen. 17. traditum est independenter à consensu serui circumcidendi.

Dices nullus adultus potest cogi ad fidem & legem supernaturalem suscipiendam, per circum- cissionem autem aliquis censetur suscipere fi- dem & legem Iudaicam, vt patet ex Apostolo ad Gal. 5. respicitur autem vnusquisque homini circumcidendi se, quoniam debitor est vniuersæ legis faciendæ, igitur serui Iudæorum adulti non poterant inuiti cir- cumcidi.

Resp. concessa maiore, distinguendo minorem; vel enim circumcissio recipiebatur, prout præcepta Abraham, & in quantum erat signum distinctiuum familiae Abraham ab alijs, vel recipiebatur in quan- tum erat signum religionis Iudaicæ. ad eam priori modo sumptam poterat aliquis cogi, & sub ea ra- tione data est & præcepta Gen. 17. etiam ante la- tam legem Iudaicam; ad eandem verò spectatam secundo modo nullus cogi potuit. vnde

Resp. neg. consequentiam; quia emptitij pote- rant cogi ad suscipiendam circumcissionem secun- dum priorem considerationem, qua ratione poste- ri Ismaël ad imitationem Abraham eandem liberè susceperunt, non autem in quantum à Moyse re- nonatam, sub qua consideratione Apostolus dicit circumcidentem se esse debitorem vniuersæ legis, nam Moyses Leuit. 12. renouauit circumcissionem in signum professionis legis traditæ in monte Si- nai, sub qua ratione quamuis Iudæi tenerentur eandem recipere, vtpote pro quibus lex per Moy- sen data esset, alij tamen non tenebantur nisi vel- lent legem Mosaicam suscipere.

Nec dictis obstat quòd circumcissio sit data in signum fidei, quia non fuit necesse vt illam ratio- nem habuerit respectu omnium qui eam suscepe- runt, sufficit quòd in Abrahamo illam habuerit, quemadmodum nec fuit necesse vt pactum, cuius circumcissio est signum rememorative, inter- cesserit inter Deum & omnes circumcisos, cum illud

3.

Ambros.

Gal. 5.

Nemo po- terat cogi ad circum- cissionem in quantum erat signū religionis Iudaicæ.

Leuit. 12.

Non neces- sariū cir- cūcissio fuit signum fi- dei respe- ctu omniū.

illud solum sit initium inter Deū & Abraham eiusque posteros per Isaac & Iacob descendentes.

## ARTICVLVS III.

*Virum ritus circumcisionis fuerit conueniens?*

4.

Resp. affir.  
Mens D.  
Th.

AFFIRMAT.

Notandum S. Th. potissimum disputare de parte corporis in qua circumcisio conferebatur, de tempore quo conferebatur, & de instrumento, ut patet ex argumentis eorumque solutionibus.

Quantum ad primum, docet circumcisionem conuenienter factam in membro generationis, quia commodè in ea parte est instituta, in qua spes generationis, & natura propaganda in Abrahamo deficiebat. Omitto alias rationes morales quæ plures à Patribus adferuntur.

Gen. 17.  
Cuius octauo  
die fieri de-  
buit.

Quantum ad secundum, constat circumcisionem fieri debuisse octauo die, patet ex Gen. 17. cuius ratio litteralis est, quod ante periculum fuisset paruulo creatum; mystica est, quod circumcisio carnalis non solum significaret circumcisionem spirituales vite presentis, sed etiam futuræ, in qua erimus liberi ab omni poenaltate, quod per octauum diem significatur.

Etiam sab-  
bato fieri  
debebat si  
dies octa-  
uus in sab-  
bato in-  
cideret?  
Ioan. 7.

Quamuis autem cessante periculo circumcisio non posset differri ultra diem octauum, ita ut etiam in sabbato fieri deberet, si in illum incideret octauus dies paruuli, iuxta illud Ioan. 7. si circumcisionem accipit homo in sabbato ut non soluatur lex Moysi, scilicet de circumcidendo paruulo die octauo. nihilominus propter periculum differri poterat ultra illum octauum diem, & facta post diem octauum fortiebatur rationem Sacramenti, quamuis variorum sententiæ facta ante illum diem rationem Sacramenti non fortiretur, ita ut non tantum ex precepto dies octauus esset expectandus, sed etiam propter rationem Sacramenti.

Exod. 4.  
Ios. 5.  
Iudei fre-  
quentius  
vbi sunt in  
circumci-  
sione cul-  
tro ferro.

Quantum ad tertium S. Th. responsione ad 2. censet instrumentum circumcisionis non necessariò fuisse cultrum lapideum, sed potuisse esse ferreum, quod etiam tenent varij. unde dico licet aliquæ circumcisiones factæ sint cultro lapideo, ut patet Exodi 4. & Iosue 5. non tamen id fuisse præcepti, cum nusquam tale præceptum legatur, & Iudei frequentius vbi fuerint cultro ferro.

Notandum circumcisionem quouis loco fieri potuisse, cum nullibi in Scriptura locus determinetur, similiter fieri potuisse à quavis persona, viro, femina, immò ab eo ipso qui circumcidebatur, quia nihil etiam de eo in Scriptura est determinatum.

## ARTICVLVS IV.

*Virum circumcisio conferebat gratiam iustificantem?*

Resp.

RESPONDET in circumcisione collatam fuisse gratiam, non ex virtute circumcisionis, sed ex virtute fidei passionis Christi, cuius signum erat circumcisio. Doctrina huius articuli explicata est suprâ quest. 62. art. 6. dub. 2.

## QVÆSTIO LXXI.

*De preparatorijs quæ simul concurrunt cum baptismo?*

## ARTICVLVS I.

*Virum catechismus debeat precedere baptismum?*



AFFIRMAT. quod in adultis satis constat ex Matth. vlt. emnes docete omnes gentes baptizantes eos: vbi baptismo adulti præmittitur catechesis. Probat etiam

D. Th. ex eo quod baptismus sit Sacramentum fidei christianæ, ut autem aliquis fidem suscipiat, conuenienter debet in rebus fidei necessarijs erudiri, debet etiam erudiri de ijs quæ ad mores pertinent. Præter hunc catechismum omnino necessarium pro adulto, alius ab initio Ecclesiæ solet adhiberi, de quo videri possunt Manualia, & adhibetur etiam paruulis baptizandis, non quod Ecclesiæ vllum rationis vsum illis inesse putet, sed primò id sit ex quadam accommodatione ad imitationem catechismi adultorum. 2. ut per hoc sponsores admoneantur sui muneris in procuranda baptizati instructione, cum peruenit ad ætatem adultam. 3. ut quasi solemnem professione cõstet de obligatione baptizati in cuius persona sponsores responderunt, credo.

## ARTICVLVS II.

*Virum exorcismus debeat precedere baptismum?*

AFFIRMAT. quia quicumque, inquit, sapienter opus aliquod aggreditur, prius remouet impedimenta, unde antequam conferatur baptismus, conuenit cohiberi Dæmonem, ne baptismi fructum impediatur.

## ARTICVLVS III.

*Virum ea quæ aguntur in exorcismo aliquid efficiant?*

AFFIRMAT.

## ARTICVLVS IV.

*Virum sit officium sacerdotis catechizare & exorcizare baptizandum?*

CONCLUSIO quæ ex doctrina D. Th. potest elici est quod principaliter pertineat ad sacerdotem catechizare & exorcizare; minus principaliter tamen etiam ad alios possit pertinere tanquam ad ministros, catechizare quidem ad lectorem, exorcizare verò ad exorcistam.